

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

& tuis præcibus nostros labores & pericula DEO commenda. Datæ Regiomonti Borussæ, 8. Cal. Maji Ao. LXIII.

Mitto ad te pagellas, testes rationis studiorum in nostra schola.

R. Dig. Tuam ex animo colens

David Voit, Theol. D. &
Professor Academiæ Regiomontanæ.



LIIX.

S D. Quod jamdudum optavi, summisque votis meis expetivi, veniret ad me aliquis, ex quo & conditionem & naturam omnium rerum Argentinensium, formamque studiorum in Gymnasio, & administrationem muneris totius Ecclesiastici cognoscerem : id ex animi mei sententia contigit, cum ad nos se contulisset Dominus Paulus Cherlerus, doctissimus Juvenis, cum Comite suo Marco, adolescente, per quem literarum tuarum, Reverende Domine Doctor, vir clarissime, & amicorum omnium observantissime, redditio facta est. Quanquam enim ex doctissimi & eloquentiss. hominis, Domini Sturmii libro, quem de norma doctrinæ in Gymnasio vestro multis jam annis usitata edidit, olim à me lecto, pleraque mihi constabant, nihil tamen jucundius aut suavius accidere potuit, quam audire eadem, & alia, quæ volebam, ex iis, qui *ἀπίπται* commemorare talia, & rationem gubernationis studiorum in Gymnasio, *καὶ τὸ ἐκκλησιαστικὸν ἡμετέριον πολιτεία* docere possent. Sed illud mihi, ut verum fatear, per molestè accidit, quod suavitatem illam & præcepit & interrupit: Quia tam exoptati colloquii usura non diutius, quàm una aut altera horula frui licuit, cum ego audiendo ejusmodi, multis diebus satiari vel expleri non possim. Quare DEUM oro, ut ad satisfaciendum huic meæ honestissimæ cupiditati, aliam non minus præclaram occasionem, quam hæc fuit, quàm citissime donet. Inde facile tibi, Cariss. frater, & amice colendissime, quemadmodum arbitror, apparebit, quo sim animo erga vos, quos & amo vehementissimè, & in ipso adeo pectore gesto. Atque utinam verbis exprimere possim illam animi mei erga vos propensionem! Corde enim ex animo vos amantissimo prosequor, quos pedibus nondum assequi licuit. Quem de conjuge, liberis, patria, parentibus, propinquisque & necessariis affectum induere solemus, cum diuturna aliqua absentia nostrum de iis animum excruciat, inter spem, metumque ambigüe hærentem, ac tuta etiam omnia timentem : Eundem profecto paravit mihi hæctenus affectum cura & sollicitudo mea de vobis, in quotidianis & perpetuis cogitationibus meis

☩

de negotio, quod inter nos agitur, ex quo tot mensibus explicare me nondum potui. Quæ tantæ difficultatis sit causa, quæve impedimenta incidant, ex literis te meis jam tum scire arbitror, quas tibi redditas esse puto, non diu post exaratas illas tuas proximas, quas à Marco, Cherleri comite, accepi. Eodem enim mense scripsimus ambo: ac meæ tuas, cum dierum numerum in eo, quindecim diebus anteverterunt. Tu, mi charissime Marbachi, menses numeras, ego singulos dies. Ac nihil mihi in omni vita mea accidit acerbius, quàm quod initio duorum mensum intervallum satis esse ad deliberationem & meam, & aliorum, quorum interest, statuerim: nunc verò in sextum mensem excreverit consultatio. Nulla, mi Domine Doctor, astutia utor, & nullis prætextibus, verè affirmare possum, hoc postremo mense, quo negotium agitur, ter aut amplius ex aula pollicitationes certas de responso esse allatas, sed ne hoc quidem momento satisfactum est ejusmodi promissis. Ter nunc ad principem scripserunt gubernatores hujus superioris provinciæ, flagitantes declarationem: Quare hac importunitate eos perfecisse puto, ut se & sententiam suam Illustriss. Princeps aperiat: quam si accepero, statim vobis eam significabo. Interea voluntatem eandem, idemque studium retinere erga me, quæ quidem sentio esse præclariss. Quemcunque eventum res fortietur, habebitis me deditissimum & devinctissimum, maximorumque beneficiorum debitorem. Quare non desino me vobis, meaque omnia, ut patronis & tutoribus optimè meritis, commendare. DEUS Ecclesiam & scholam, atque inclitam Rempubl. vestram clementer & benignè ad sui nominis laudem & celebrationem, ac plurimorum ex toto genere humano salutem protegat & conserve: Amen. Optimè & felicissime in Christo vale, frater in Domino carissime. Datæ altera die τῆς πεντηκοστῆς, 22. Maji, Anno Chr. 1564.

Tuus ex animo frater

Streitbergerus.

LIX.

G & P. in Christo, Reverende vir. Qua gratia hic adolescens Argentoraturn profectus sit, coram ex ipso audies. Cupit enim, ut partem aliquam suppellectilis fraternæ nanciscatur. Hac in re si quid ipsum tuo consilio, & officio juvare poteris, vehementer oro, ne id facere graveris. In hac mæstitia temporis decet omnium vocationum homines piis Scholasticis opem ferre, quo possint eruditione necessaria Ecclesiis, sese instruere, & aliquando in solem, & pulverem prodire, & dimicare cum Diabolo, & organis